



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum  
theologiae scholasticae tomus ...**

**Rhodes, Georges de**

**Lugduni, 1661**

Sectio II. Vtrum spes Theologica sit actus amoris concupiscentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Solutio  
tertiæ. Ad tert. Resp. merito amari Deum à nobis amore concupiscentiæ ut est summum bonum nostrum, quia sic non refertur à nobis Deus ad nos ipsos, tanquam medium ad finem: sed Deum tanquam ultimum finem cuius gratia, id est propter cuius amorem expectantur omnia referimus ad nos tanquam ad finem cui volumus tale bonum, quod vitiosum non est, quia finis (cuius) non amatur ut medium ad finem (cui) sed una cum fine (cui) est vnus finis adequatus.

## SECTIO II.

*Verum Spes Theologica sit actus amoris concupiscentiæ.*

**D**ixi quid sit amare Deum amore concupiscentiæ, nimirum velle illum nobis, ut summum est bonum nostrum, ad cum ergo amorem pertinebit sine dubio Spes Theologica, si non sit aliud quam desiderium efficax Dei possidendi summi boni nostri, quod tamen plerique Doctoribus non placet, quippe video tripliciter explicari quid sit Spes Theologica.

Primò enim Henricus, Durandus, & Bonaventura negant spem esse aliquod desiderium, sed esse solum tendentiam voluntatis in bonum formaliter, ut est arduum & difficile, Spem enim Theologicam non amare, desiderare, timere, sed expectare bonum difficile ut sic, confidendo se illud obtenturum à Deo, duos enim esse actus proprios Spei, expectationem & confidentiam, primum respicere bonum quod speratur, secundum illum à quo speratur.

Secundò, paulò aliter spem explicant Vasques, Becanus & alij non pauci, volunt enim Spem esse expectationem bonorum supernaturalium cum Dei auxilio illius enim materiale obiectum esse omnia bona supernaturalia, formale autem esse Deum ut auxiliatorem fidelem & omnipotentem in præstandis promissis.

Tertiò, Scotus, Caietanus, Suares, Coninck & alij communius, volunt Spem Theologicam non esse aliud quam desiderium quoddam summi boni, & proprium actum amoris concupiscentiæ.

Ratio verò dubit. primò est, quia sperare non est aliud quam aliquid expectare, sed expectare non est desiderare, multa enim sæpe desideramus quæ nequam speramus. Deinde Spes destruitur per solam desperationem, non autem per odium aut nolitionem beatitudinis: ergo Spes non est desiderium beatitudinis. Denique desperare non est nolle beatitudinem, multa enim desideramus quæ tamen desperamus nos habituros.

Secundò, Spei obiectum est bonum arduum, amoris autem obiectum non est bonum arduum, ergo Spes & amor differunt obiectis. Imò possum ex virtute Spei appetere beatitudinem proximi quatenus bonum eius, vel in Dei gloriam, qui non erit amor concupiscentiæ.

Tertiò, amor concupiscentiæ amor est sui ipsius, qui nec est supernaturalis, neque ullam habet difficultatem, oritur enim ex naturali complacentia quam habet quilibet in se ipsum, ergo Spes Theologica non est amor concupiscentiæ: Imò iste amor manebit in patria ubi tamen manebit Spes.

Conclusio. Dicendum est nihilominus Spem esse verum actum amoris concupiscentiæ Dei summi boni. Et esse desiderium efficax obtinendi bonum illud quod cognoscitur arduum possibile futurum.

Primæ partis ratio est, quia si Spes actus non esset amoris concupiscentiæ, sed esset virtus specialis ab illo distincta sequeretur virtutes Theologicas non ef-

se tres duntaxat sed quatuor, nam amor concupiscentiæ virtus est virtus Theologicum cum amet Deum ut summum bonum, qui est amor supernaturalis, sicut gaudium quod in cælo habent beati de sua beatitudine, est supernaturale, pertinetque sine dubio ad amorem concupiscentiæ, timor etiam æternæ pænæ supernaturalis est & ad hunc amorem pertinet. Deinde nulla virtus potest amare aliquod bonum de quo non possit gaudere si sit præsens, & quod non possit desiderare si sit absens, & quod etiam non possit sperare si sit arduum, & iudicetur futurum, nam etiam Charitas sperat bonum aliquod Dei absens & arduum, ergo amor etiam concupiscentiæ sperat eandem beatitudinem quatenus ardua est possibilis, & futura.

Secunda pars, quod Spes sit actus ille amoris concupiscentiæ quo desiderat efficax aliquid bonum. Probat, quia omnis actus qui fertur in bonum absens est aliquod desiderium sed Spes, expectatio, confidentia, & quidquid aliud dixeris est actus voluntatis circa bonum absens, non enim est actus intellectus & si est actus voluntatis necessariò est volitio, ergo spes est proprium desiderium boni alicuius siue illud sit beatitudo, siue sit Dei auxilium, semper enim illa bona sunt quæ sperantur: nam sperare, expectare, confidere, semper est velle illa bona tantum addendo iudicium intellectus certum & excludens formidinem, quod Deus illa non negabit, cum fidelis sit in promissis & omnipotens, ergo semper spes est volitio & desiderium, neque aliter potest explicari expectatio illa & confidentia quam per tale desiderium, & iudicium intellectus de quo postea.

Ad primam Resp. quod non quodlibet desiderium est spes, sed desiderium boni quod apprehenditur arduum, possibile, futurum. Igitur expectare, ut dixi, est desiderare illud bonum, supposito iudicio certo quod illud bonum futurum sit: neque possumus vllum huiusmodi bonum desiderare quod non speremus. Spes respicit bonum quod desideramus tanquam obiectum primarium & directum, illum autem à quo speramus tanquam obiectum indirectum, imò potius tanquam circumstantiam quandam obiecti quod speratur ut postea constabit, non itaque dico quodlibet desiderium esse spem, aliqua enim sunt desideria inefficacia, & sæpe non feruntur in bonum arduum & futurum: sed nulla est Spes quæ non sit desiderium. Habitus Spei ut constabit non destruitur per solam desperationem, sed per quemlibet actum repugnantem amoris concupiscentiæ cuiusmodi esset odium, & nolitio beatitudinis. Desperatio semper est nolitio aliqua & fuga boni de quo desperatur, non illius in se sumpti, sed illius propter arduum vel non futurum, ut dicitur *quest. 3.*

Ad secundam Respondeo non differre essentialiter inter se obiectum amoris, & obiectum Spei, sed accidentaliter solum differre ratione alicuius circumstantiæ adiunctæ propter quam idem obiectum quod amatur ut bonum est, speratur ut arduum est, desideratur ut absens est: non quod arduitas & absentia sit ratio sperandi & desiderandi, sed tantum circumstantia & conditio sine qua non desideraretur nec speraretur. Itaque distinguo hanc propositionem, obiectum amoris non est bonum arduum, reduplicatiue ut arduum est, concedo: Specificatiue nego, nam verè amatur bonum illud quod arduum est, quamuis amor ut amor præscindat ab arduitate, sicut præscindit ab absentia, quoties appeto beatitudinem proximi quatenus bonum eius est, vel in Dei gloriam, spes est propria Charitatis Theologicæ propria, si autem appeto eius beatitudinem, quatenus est persona mihi coniuncta

Secundæ  
partis.

Solutio  
primæ dubitationis.

Solutio  
secundæ.

coniuncta tunc est verè Spes Theologica, & verus amor concupiscentiæ.

**Solutio**  
**certa.** Ad tertiam Respondeo quod amor sui ipsius propter motum supernaturale & in ordine ad bona supernaturalia non est naturalis habetque magnam difficultatem, ad quam vincendam necessarium est auxilium gratiæ: virtus Spei est supernaturalis, non ratione obiecti solum materialis sperati, sed etiam ratione formalis motui propter quod speratur, & si velis etiam ratione illius à quo tale obiectum speratur, quomodo autem maneat in beatis, idem habitus Spei, non tamen sub formali ratione Spei aut desiderij aut timoris dicitur *quest. 2.*

### SECTIO III.

*Qualis actus amoris concupiscentia sit Spes.*

**S**pes (vt dixi) est desiderium quoddam boni perstans ad amorem concupiscentiæ. Difficultas autem est quomodo differat à simplici desiderio, & ab intentione finis efficaci, quod discrimen non potest peti, nisi ex eo quod Spes sit appetitus boni quod apprehenditur arduum, possibile, futurum: de qua tamen triplici conditione boni, non satis conuenit inter Doctores.

**Prima dubitatio.** Ratio enim dubitandi primò est, quia non est necesse vt bonum quod speratur apprehendatur difficile, nam quodlibet bonum etiam facile sperari sæpè solet, si apprehendatur futurum; ratio enim ardui esse non potest ratio amandi bonum, cum illa sit ratio aliqua mali: sed neque opus est vt pro certo bonum illud cognoscatur futurum, alioqui sequeretur quod ad spem necessaria non esset erectio quædam animi, & firmitas ad superandas difficultates: Imò nec Spes pareret magnanimitatem & audaciam aduersus ingentia pericula: Denique nemo est certus de futura sua beatitudine, quam tamen omnes speramus.

**Secunda.** Secundo, ratio ardui quæ reperitur in obiecto Fidei significare non potest difficultatem illius boni, sed tantum quod huiusmodi bonum viribus nostris obtineri nequeat, sed tantum ex alterius potentioris auxilio, quia quæ in potestate nostra sunt nunquam sperare dicimur. Deinde in eo tantum differt Spes à magnanimitate, quod Spes tendat in bonum arduum vt obtinendum per alios, magnanimitas autem in bonum arduum quod est suæ potestatis.

**Tertia.** Tertio, ratio ardui & absentis est id quo Spes differt à gaudio, ergo est id quod specificat spem tanquam eius obiectum, alioqui Spes essentialiter non differt à gaudio & ab alijs actibus amoris concupiscentiæ, nec ab intentione aut desiderio simplici. Deinde si ratio ardui non est id quod spem specificat, non apparet quomodo illa pertinere possit ad spem, audaciam, & magnanimitatem, si non est obiectum formale.

**Prima conclusio.** Dico primò, Spem in eo solum differre à desiderio, & ab intentione finis efficaci, & ab alijs actibus amoris concupiscentiæ, quod tendat in bonum arduum & obtentu difficile, sed possibile tamen & futurum, quæ non sunt obiectum formale Spei, sed conditiones tantum & circumstantiæ requisitæ ad obiectum Spei, & per illud connotatæ.

**Arduitas requiritur ad obiectum Spei.** Prima pars, requirens ad bonum quod speratur, difficultatem, possibilitatem, futuritionem communissimè admittitur, sed quoad primam tamen conditionem negatur à Vasque, Becano, Turriano, vt suprà monui. Probatur autem quia si arduitas ad quam respicit Spes non significat difficultatem, sed solum

Tom. I.

indigentiam opis alienæ, sequitur omnino quod Deus sperat bona opera, nostra quæ non obtinet, si ne nobis. Deinde canis insequens leporem non diceretur sperare prædam, quam solis suis viribus obtinet: multa etiam nos speramus, quæ nostræ sunt potestatis. Denique actus Spei adiunctam habet firmitatem quandam, & erectionem animi, imò parit necessariò audaciam & magnanimitatem, ergo bonum quod sperat est aliquid acquisitu difficile, nemo autem sperat obsequium aliquod facillimum sui famuli, quia illud pendet ab eius voluntate. Altera conditio est possibilitas, quia nemo sperat id quod iudicat impossibile, vel etiam ea quæ iudicat non euentura, sed requiritur vt id quod spero, dubitatiuè saltem iudicem futurum, vel certè vt non iudicem pro certo illud non euenturum.

Secunda pars asserit, arduitatem, possibilitatem, futuritionem non esse motuum formale specificationum. Quod sæpè probatum est, quia ratio mali non potest esse ratio amandi bonum, difficultas autem illa est ratio aliqua mali, arduitas ergo non mouet appetitum sed potius dererret, sed neque possibilitas est ratio propter quam appeto, non enim res amatur quia est possibilis, sed amatur eius possibilitas quia res amatur vt bona, quod idem verum est de futuritione, semper enim ratio appetendi non est futuritio sed bonitas rei.

Illæ igitur sunt tantum conditiones & fundamenta ex quibus resultat per accidens ratio boni quæ mouet ad spem. Quia scilicet bonum non potest esse obiectum Spei nisi habeat talem proportionem cum appetitu, vt mouere possit ad sperandum, non habet autem talem proportionem per quam dicatur sperabile nisi sit difficile, possibile, futurum. Farcior esse impossibile vt ratio mali fundet per se rationem boni, adeò vt ratio boni oriatur ex ratione mali, sed fundare potest per accidens, quatenus posita tali ratione mali, sequitur vt bonum induat specialem illam rationem sub qua speratur.

Dico secundo, veram hanc & propriam esse definitionem Spei vniuersum sumptæ; Spes est appetitus efficax boni absentis, ardui, possibilis, & futuri, cum firmitate quadam animi aduersus difficultates, vnde oriuntur magnanimitas, audacia confidentia.

Primò audacia est actus quo fertur in opus difficile vallatum periculis, quod existimatur esse medium vtile ad consequendum finem speratum, conuenit enim cum Spe, quod sit erectio & firmitas appetitus contra difficultates, differt autem quod Spes respiciat ipsum bonum obtinendum, non quatenus arduum est, sed quatenus speranti est bonum, & quod vincat difficultatem ortam ex ipso fine obtinendo, audacia verò respiciat & aggrediatur difficultatem ipsorum mediorum in quibus apparent pericula & damna, ad quæ superanda erigitur & obfirmatur animus: vnde audacia est quasi famula ipsius Spei. Obiectum eius materiale est malum vel mali periculum apparens in medijs aptis ad finem: formale est vtilitas talium mediorum ad finem; proprius actus est tolerare malum, vel etiam aggredi & vincere periculum mali, quod est in medijs vtilibus ad finem.

Secundo, magnanimitas est actus appetitus quo fertur in opera difficilia ad amouenda impedimenta sperati boni, non enim aggreditur pericula & damna quod audacia munus est, sed superat difficultates in amore impedimentorum.

Tertio, confidentia iuncta etiam Spei, propter iudicium firmitate quod bonum illud quod speratur futurum

Audacia est circa media difficilia.

Confidentia respicit auxilium diuinum.

HHHh

turum